

F.K.  
124  
32.


X 187 6210



275  
De Epistola Christi  
ad Abgarum &  
alii predictorum  
Ges.

ULTIMUM VALE,  
quod  
**JOHANNES PAULUS**  
ET  
**JOHANNES Gottfried**  
**FORBIGERI,**  
cras, Deo dantc,  
H. L. Q. C.  
Musis Augustis acclamabunt,  
decentissime indicat  
**M. JOHANN. CHRISTOPH. Stanger**  
Phil. Moral. & Eloq. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,  
Charactere BRÜHLIANO.





Ntiqvum cacoëthes est, quod Spiritus mendax asseclis suis immisisse videatur, ut varii generis literas & libros divulgaverint, qui aliorum mentirentur nomina, & mille modis imponerent orbi eruditio. Quod audax hominum genus eo temeritatis processit, ut ne Christo quidem, strenuo cœlestis veritatis assertori, pepercere, sed eodem cum hominibus loco eum habuerit, sanctissimo ipsius nominis commenta sua supponens. Quod vel mutuum illud literarum commercium docere potest, quod JEsum inter & Abgarum quendam institutum fuisse historici commemo- rant. Fuit ille, ut narrant, Rex vel Toparcha Edessæ, quod oppidum fuit Mesopotamiæ ad Euphratem, in confinio Syriæ Comagenæ situm, hodieq; Orphadicitur, & Barbarorum Orientalium imperio subjacet. Hic (ut optimos in re- censendo autores sequar) gravissimo & pene insanabili morbo tenebatur, cum fama ad eum perlata esset, novum quendam Æsculapium, plusquam humana medendi scien- tia instructum, divinitus datum esse genti recutitæ. Literis igitur eum ad se accersere, opemq; ejus implorare tentavit. Quæ summa est epistolæ, quam Abgarus ad Christum de- disse fertur. Eam vero, qua Christus ipsi respondisse credi- tur, ut integrum exhibeam, instituti ratio postulare vi- detur. Primum quidem memoriæ prodita fuit ab Eusebio Pamphili, in Historia Eccles. qui eam in Grammato- phylacio Edessæ asservatam fuisse testatur. Post hunc ve- ro evolvi merentur Procopius de bello Persico; Evagrius Scholasticus; Nicephorus Callistus; Rich. Montacutius; Cæsar Baronius, & alii. A nostratis, & quidem celeber- rimis Centuriatoribus Magdeburgensibus eam mutuabor, & totidem literis, quibus in Cent. I. Lib. I. c. X. p. 268. expressa est, cum iis communicabo, quos propria librorum supellex, hac in parte destituit.

EPI-

EPISTOLA JESU CHRISTI,  
quam ad Abgarum, Edessenorum Regem, scripsisse  
fertur.

*Abgare beatus es, quod in me credidisti, cum non videris me: Scriptum enim est de me: non credituros in me, qui viderint me; ut qui non viderint, credant & vivant. De quo vero ad me scripsi-  
sti, ut ad te veniam; scias mihi cuncta, quorum gratiam missus sum,  
hoc loco esse ad implenda; & postquam ea implevero, mox ad eum  
redeundum, qui me misit. Ubi autem assumptus fuero, mittam tibi  
aliquem ex discipulis meis, qui passioni tuae medeatur; vitamq; &  
tibi, & iis, qui tecum sunt, praestet.*

Hoc modo argumentum epistolæ, Syriacis literis expres-  
sum, Eusebius Græcis, & interpretes ejus Latinis reddide-  
runt. Rem ipsam quod attinet, in diversas sententias ab-  
eunteruditi. Baronius & Montacutius genuinam esse epi-  
stolam asserunt; negant hoc alii, & quidem e nostratis Chemnitius in examine Concilii Tridentini; Lucas Osian-  
der in Epitome Hist. Eccles. Waltherus in officina Biblica &c. Ad quam sententiam etiam prudentiores Pontificii accedunt, ut sunt Melchior Canus in locis Theologicis, & Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccles. Sunt quoque alii, qui in neutram inclinant partem, sed rem totam aliis dijudicandam relinquent; qua mente Casaubonum, & modo dictos Scriptores Magdeburgenses fuisse constat. Quis vero scrupulus tam acutis eruditisq; mentibus insede-  
rit, ut fraudem non animadverterint, vel publice fateri no-  
luerint, non liquet. Timuisse credo, ne suspecta reddatur au&toritas Eusebii, quem omnes magni faciunt, & impri-  
mis veritatis nomine maximopere commendant. Ubi dif-  
fiteri quidem non possumus, eandem hanc Epistolam cau-  
sam fuisse, cur ipse summus Pontifex, Gelasius, historiam Eusebii apocrypham pronunciaverit. Sed quemadmo-  
dum hac in re nimis acerbum nactus est censorem au&tor gravissimus; ita illi contra nimis faciles, credulique viden-  
tur, qui singula Eusebii verba oracula, & e tripode dicta esse sibi persuadent. Quandoque & bonus dormitat Homerus. Salva-  
sit quoad cætera Eusebii au&toritas, dummodo hoc Scri-  
pturæ genus ipsum sefelliisse cum Rainoldo in Cens. Lib. Apocryphorum ingenue confiteamur. Nec aliter profecto  
potest,

potest, qui modo ea, qua par est, attentione initium confitæ epistolæ perlegit. Scriptum aliquid de se nunciat fraudator, quod multo post, sub initium demum seculi secundi a Johanne, carissimo JEsu Christi discipulo, in literas redactum legimus. Quod vel solum personato auctori larvam detrahere, & admissam fraudem omnium oculis exponere potest. Sed plura de hoc argumento cras, Deo dante, H. L. Q. C. suppeditabunt ingenui pariter & felicissimi Augustarum Musarum Alumni, **JOHANNES PAULUS** & **JOHANNES Gottfried FORBIGERI**, qui natales suos Aurobachio Variscorum, educationem vero Martisburgo debent. Hi ante discessum suum ex Ill. nostro Augusteo quæstionem hanc Historico-Theologicam, an Christus, Servator noster, literarum aliquid posteritati reliquerit, publicis Orationibus, e memoria recitandis, examinabunt. Quod institutum ut Summi Mecænates & Patroni, omnesque, qui hujusmodi Musarum negotiis delectantur, gratiosa & benevolæ sua præsentia & attentione dignari non recusent, submisse, officiose, & per amantere eos rogo & obtestor. Tales sunt Oratores, qui pietatem in Deum & Patronos cum lacte materno imbibierunt, & constanter ha&tenus conservarunt. Et quam ob eam ab improbis multa iniqua passi sint, satis tamen ipsis esse puto, quod publico nunc Præceptorum testimonio ornati, optimam cum vita, tum doctrinae laudem reportaverint, & boni quique (ut habet testimonium) in Docentium & discentium ordine, favoris sui ulnis eos amplexi fuerint. Hanc Dei superiorumque gratiam perpetuam vobis appreco, affines, animo meo commendatissimi. Hanc si indulsam habebitis comitem, brevi futurum spero, ut Optimo vestro parenti, Soceroque meo multo dilectissimo, senio nunc ferme laboranti, fulcro sitis & baculi instar, quo, vestram cernens salutem, satur aliquando vita, & plenus gaudii, venerandam canitiem tumulo inferat. P. P. Dom. III. Trinit. A. O. R.  
 M. DC. XCVIII.



107  
MC.

F.H.  
124,  
32.

X 187 6210

II i  
775

De Epistola Christi  
ad Abgarum &  
Ius quod appa-  
gat.

275

